


JWR JG

M.-s. 278

438.

f. A. F. Mayß
1809.



GRAMMATICAЕ

UNIVERSALIS

E L E M E N T A

SCRIPTA

A

IOANNE HENRICO MEYER.

BRUNSVIGAE, 1796.

IN BIBLIOPOLIO SCHOLIS DICATO.

GRAMMATICAE

UNIVERSITATIS

EREMINTA

SCHEFF

LOMANN HEDDINGO MELLE

BRUNNENIACAE 1740

DE LIBRARIIS LIBRARIA SCHOLASTICIS LIBRARIA

tempor mediocriter regnantes ob om
nitudines etiam sicut et modicissimi
curiositas non illi neque enim tunc raro
eius quod aliquip minaretur auctor est mino
ritas officio magis solito alio
hincem est minima sita sicut etiam
alibi etiam de eiusmodi exposito. Tunc
enique solitudo haec omnino est minima
magis.

PROOEMIUM.

Quamquam plerique, qui de ratione lo
quendi scripserunt, esse aliquam Gramma
ticam universalem censuerunt, in quo ta
men potissimum posita sit nonnulli igno
rante videntur. Plerique enim, ex com
muni usu loquendi regulas quasdam spe
ciales et ex specialibus generales quodam

modo colligentes, philosophicam loquendi institutionem se conscripsisse existimarunt. Cum vero usus, quem illi non magistrum solum, sed etiam tyrannum loquendi, constituerunt, casu potius quam consilio natus sit, constans inde ratio minime repeti potest, ideoque praecepta ab iis tradita arbitraria tantummodo et generalia potius quam universalia reperiuntur. Longe autem difficilius graviusque negotium est, species summas notionum aequa ac conjunctionum, quibus cogitatio constat, investigare et inde formas universales notarum atque regulas iungendorum verborum eruere. Attamen ab eo solo principio constantem ac perfectam rationem loquendi et grammaticam vere philosophicam proficiisci posse satis patet. Cuius grammaticae cum pauca tantum atque exigu-

gua reperiantur rudimenta, sperare licet
lectores ea, quae imperfecta aut vitiosa
in opusculo meo ipsis visa fuerint, non
auctoris incuriae sed rei ipsius difficultati
tributuros esse.

Antequam autem ad rem ipsam pro-
gredior, pauca de utilitate eiusmodi gram-
maticae admonenda censeo. Et primum
quidem eandem, quam logica universalis,
in philosophia non solum sed in omni do-
ctrina vim habere videtur: sicut enim haec
recte cogitandi, ita illa recte cogitata de-
notandi praecepta tradit. Quapropter for-
tasse ad evitandos, qui plurimi nunc in
philosophia conspicuntur, errores aliquid
valeret. Deinde grammaticae cuiusvis sin-
gularis fundamenta exhibet, siquidem no-
tiones communes omnis orationis expli-

cat, totius operis rationem describit et
quae summa loquendi norma sit demon-
strat. Hinc vero perspicuum est, quan-
topere linguarum cognitionem nec in pue-
ris solum verum etiam in magistris ad-
iuyet.

SE₄

PARAGRAPHS

SECTIO PRIMA.

DE PARTIBUS ORATIONIS IN GENERE.

ORATIO sensu latiori est significatio eorum, quae cogitamus, sensu strictiori significatio eorum, quae cogitamus, operis vocis.

Sonus quilibet ore editus vox vocari potest. VERBUM vero is tantum sonus, quo ea, quae cogitamus, exprimuntur, i. e. quo aut notiones ipsae aut connexiones notionum designantur. Ob id ipsum brutis quoque voces quidem, nec tamen verba tribuimus.

Annotatio. Ubi nulla cogitatio, i. e. nulla connexio, ibi quoque neque oratio neque verba. Voces igitur eae, quae affectione tantum animi atque appetitus declarant, nec notiones aut connexiones designant, quae plerumque INTERJECTIONES vocantur, cum ad orationem non pertineant, inter verba quoque referri non possunt.

PARTES ORATIONIS vocantur variae notionum ac verborum formae, quibus omnis oratio continetur.

Oratione indicantur ea, quae animo connectuntur. Partes orationis itaque in grammatica universali ex natura connexionis logicae repetendae sunt. Iam connexionem istam in ipsis animi facultatibus positam esse constat, itaque divisionem illam dari oportet.

Notiones autem ac verba dividendo, de singulis tantum orationis elementis loquar. Constat enim fieri posse, ut plures formae uno eodemque verbo contineantur. Quod in omni quoque oratione factum esse intelligimus; sic verbum *amavit* omnes fere formas complectitur, quippe quod significat: *ille est amans (in) tempore praeterito*. Compositae autem illae formae ex simplicibus seu orationis elementis iam patebunt.

Verba itaque aut per se materiam quandam notionum indicant aut connexiones notionum designant. *Homo* e. g. materiam notionis cuiusdam significat; *est* e contrario nexum notionum inter se.

Verba prioris generis aut notionem in se perfectam, nulla aliarum notionum ratione habita, significant, aut notionem, quae

quae aliam quandam determinat, ideoque in se imperfecta esse censetur. *Vir v. c.* notionem in se perfectam designat; *bonus* autem notionem, quae aliam quodammodo determinat, declarat. Priora, vulgo substantiva nomina, SUBIECTIVA, posteriora, quae plerumque nomina quoque vocantur, ADJECTIVA appellabimus.

Eorum, quae connexionem notionum indicant, alia connexionem perfectam, i.e. formam, sine qua nullum omnino iudicium esse intelligitur, repraesentant, alia connexionem in se imperfectam, i.e. quae nonnisi alia connexione intercedente materia inter se necit, significant. Sic verbum *est* praedicatum ad subiectum referendum esse declarat; *propter* e contrario, et si connexionem quandam designat, per se tamen formam iudicii absolutam non repraesentat. Priora, Grammaticorum verba strictiori sensu, nobis COPULATIVA, posteriora, quae plerumque particulae nominantur, CONIUNCTIVA vocabuntur.

Annotat. ARTICULUS, qui in quibusdam linguis reperitur, cum subiectivum, ratione scilicet generis universi, quo illud continetur, determinet, subiectivis annumerandus est.

PRONOMINA, quorum alia subiectivorum, alia adiectivorum vicem gerunt,

A 5 par-

partim inter subiectiva, partim inter adiectiva referentur.

ADVERBIA, quippe quae aliam notionem, adiectivum scilicet verbum, aut nexus notionum determinant, inter adiectiva sensu isto latiori, quem supra explicavimus, sunt collocanda.

PARTICIPIA, et si originem a verbo trahant, tamen, si formam consideres, ab adiectivis neutiquam differunt.

VERBA omnium, quotquot novimus, linguarum copulativa quidem sunt, nec tamen pure copulativa, siquidem maximam partem materiam quandam, seu notionem quandam adiectivam, designant. Attamen verbum *esse* in omni fere oratione pure copulativum est, et si interdum *adesse*, i. e. *existere in loco quodam*, significet.

Coniunctiva verba PRAEPOSITIONES aequae ac CONIUNCTIONES vocavimus, quippe quae utraeque nexus eorum, quae cogitamus, ostendunt. Unde quoque mutatis mutandis altera alterius vicem gerere potest; e. g. *divitias propter utilitatem expetendas censeo et divitias, cum utiles sint, expetendas esse existimo.*

De INTERIECTIONIBUS denique supra iam dictum est.

SE-

— ii —
SECTIO ALTERA.

DE SINGULIS PARTIBUS ORA-
TIONIS.

I.

DE SUBJECTIVIS.

Subjectivum itaque verbum vocatur quodcumque notionem in se perfectam denotat. Quapropter quaevis notio, cum ad aliam notionem non refertur, subjectivi materiam praebet.

Divisio igitur subjectivorum divisione notionum in genere nititur.

Subjectiva denotant aut ea, quae praedicari possunt, aut quae omnino praedicari non possunt, i. e. aut inhaerentia aut subsistentia. (E. g. *virtus, homo.*)

I. Ea, quae praedicari possunt, aut quae in animo solummodo existunt, aut quae extra animum subsistentibus inhaerere censentur, designant.

1. Pri-

1. Prioris generis sunt, quae cogitationes, affectiones, appetitus, volitio-nes et reliqua eiusmodi significant. (E. g. *veritas, beatitudo, ira, probitas.*)

2. Posterioris autem generis qualita-tes, vires, relationes et rel. eorum, quae subsistunt, denotant. (E. g. *pelluciditas, attractio, cohaesio etc.*) Ceterum notiones istas habita ratione subsistentium, ad quae referuntur, dividi posse constat.

II. Illa, quae praedicari non possunt, aut subsistentia universa, aut plura eiusdem generis aut singula tantum, seu individua exprimunt.

Quae genera et individua designant, aut ea, quae ratiocinatione solum intelliguntur, aut quorum existentia sensu percepitur, declarant.

Quae sensu percipiuntur aut partibus eiusdem generis composita sunt, quae vulgo *elementa* vocantur, aut partibus heterogenis mixta, quae *corpora* nominantur.

Corporum nonnulla, conglomerata so-lum, organis ad conservandas et producendas partes aptis carere videntur; nonnulla, mirifice constructa, organis ad con-servandas et producendas partes gaudent.

Corpora organica, et ea quidem sola, sexu differunt.

SE.

SEXUS saepius ratio non habetur; interdum habetur. Unde sequuntur regulae universales, quae ad sexum pertinent.

Ubi nullus sexus, ibi nulla designatio sexus. Sexus igitur grammaticus ad nomina tantum corporum organicorum pertinet. Reliqua nomina cuncta non NEUTRIUS, sed NULLIUS sunt sexus, i. e. in quibus nulla plane ratio sexus haberi possit.

Ubi nulla ratio sexus habetur, et si haberi possit, designatione opus non est. Cum igitur aut genus universum aut individuum quoddam indistinctum significatur, sexus grammaticus non requiritur.

Quandocumque contra sexum denotari interest, significari quoque posse oportet.

Designatio ista dupli modo fieri potest. Aut enim vocabulo communi genus universum, mares ac feminas, vel individuum quoddam, mas illud sive femina sit, altero vocabulo marem, tertio feminam denotare possumus, unde illa sexus UTRIUSQUE vel NEUTRIUS, prout Grammaticis placuerit, haec sexus MASCULINI aut FEMININI esse dicentur. Aut vocabulo illi communi notam quandam peculiarem addendo sexus differentiam denotare licet. Nota autem illa aut subiectivo vocabulo iuncta in

in unum verbum coabit, aut ab illo sejuncta per se verbi loco erit.

Annotat. Si posterius, nota illa inter adiectiva verba referenda est, quippe quae aliam notionem, subiectivum nempe verbum, determinat.

In omnibus fere, quantum euidem scio, linguis, usu cuique vocabulo sexum tribuente, factum est, ut regulae plurimae, eaque ipsae non sine exceptionibus et subexceptionibus, ut ita dicam, mero Joquentium arbitrio statuerentur. Quod autem ex una parte orationi additum, id ex altera detractum esse videtur; sicut enim saepe sexus, ubi nullus omnino intelligi potest, adiicitur, ita interdum, ubi illum notari interest, designari sine ambigibus nequit. Lingua patria e. g. vocabulo, quo universum genus seminarum (hominum) designari poslit, caret; nam illa Weib, Frau, et reliqua omnia, notionem quandam, quam generi universo haud tribuendam censemus, involvunt. Angli omnium, quarum linguas novi, gentium soli, vocabulis eorum, quae sexu carent, nullum sexum tribuentes, regulas supra expositas sequuntur.

Annotat. Minime vero dico, sexum omnino tenere vocabulis eorum, quae sexu carent, tributum esse. Fieri enim potuit, ut qui primum rebus nomina imposuerunt similitudinem quandam eorum,

rum, quae sexu carent, cum rebus corporeis sequentur, quod saltim in patrio sermone factum esse satis apparet. Quantum vero ab sit ut ista similitudinis regula ad omnia vocabula pertineat, et quot praeterea in iis ipsis, ad quae pertinere videtur, vocabulis exceptions sint, si ipsius re naturam atque omnium fere linguarum rationem consideraveris, patet. Malem igitur, loquentes, analogia ista incerta omissa, stabilem rationem sequi essent.

II.

DE ADIECTIVIS.

Adiectivum verbum vocatur, quodcumque, materiam quandam notionum significans, aliam notionem determinat. Quaecumque igitur notio aliam notionem determinare valet adiectivi speciem assumere potest.

Adiectivum aut subiectivo verbo determinando inservit aut non subiectivo. Priori PRIMARII, posteriori SECUNDARI nomen imponemus.

Annotat. Adiectivorum secundariorum maxima pars ADVERBIA plerumque vocantur.

ADIECTIVUM PRIMARIUM subiectivum aut ratione generis universi, quo continetur, aut ratione eorum, quae ipsi nominis tribuuntur, habita, determinat.

Si

Si subiectivum ratione generis universi,
quo continetur, spectamus, aut individuum singulum, aut plura, aut denique universa, quaecumque genus illud complectitur, denotari posse patet. Adiectiva, quibus ista quantitas designatur, COMPLEXIVA vocari possunt.

Quantitatis tres sunt enunciationes, a Grammaticis NUMERORUM nomine insignitae, prima unitatis aut definitae aut indefinitae, altera multitudinis, quae itidem aut definita aut indefinita, tertia denique universitatis.

Iam vero patet, ubi numerum designari intersit, ibi quoque denotari oportere.

Vario autem modo numerus significari potest. Primo enim peculiari verbo, i. e. adiectivo addendo. Deinde ipso subiectivo flectendo aut novo plane vocabulo substituendo. Denique mixto modo et adiectivum addendo et subiectivum flectendo. Altera tamen ratio innumeras fere eiusdem subiectivi flexiones aut innumeratas eiusdem notionis designationes requireret. Unde maxime ex re esse videtur, propria verba seu adiectiva addendo quantitatem significare.

Adiectiva unitatem aut definitam aut indefinitam notantia, ut Graeca et ^{et} nostra

nōstra ver et ein, ARTICULI, et prior quidem definitus, posterior indefinitus seu unitatis, vocantur.

Illa autem, quae multitudinem definitam denotant, NUMERALIA, et quidem cardinalia, vocata sunt. Quae multitudinem indefinitam significant, ut *multi*, *plures* et reliquā, nullo nomine insignita sunt.

Ea quoque, quae universitatem designant, ut *universi*, *cuncti*, *omnes*, peculiari nomine carent.

Numerum semel denotari sufficit. Quotiescumque igitur adiectivo quodam quantitas designatur, flexione subiectivi non opus est. Si contra ipsum subiectivi significacione numerus expressus est, adiectivum numerale non requiritur. Vocabula igitur, quae individuum quoddam significant, articulo non indigere facile intelligitur.

Omnis fere linguae complexivis utuntur, sed, subiectivum quoque flectendo, dupli modo numerum designant. Universitatis tamen enunciatione omissa, duas solummodo quantitatis enunciationes, singularem et pluralem, esse voluerunt. Graecis praeterea dualem placuisse satis constat. Iam vero ex iis, quae supra diximus, patet, flexionibus illis opus non esse.

esse. Pleraequē insuper varios flectendi modos, seu declinationes, statuentes, orationem multo difficiliorem reddiderunt. Ex hac quoque parte Anglorum sermo plerisque, quos equidem novi, praestare videtur, quippe qui una eademque ratione, literam s̄ scilicet nomini addendo, pluralem numerum designat.

Adiectiva ea, quae ipsi subiectivo tribuentur, unde fortasse ATTRIBUTIVA vocari possint, aut ratione sensus, interni vel externi, cui inesse censetur, aut ratione eorum, quae ipsi subiectivo inesse existimantur, praedicari posunt.

Quae ratione sensus facta subiectivis tribuuntur, aut de subiectivis per se sumtis aut comparatione ceterorum, quae itidem ad sensum referuntur, facta praedicantur.

Priora, cum satis cognita sint, praetereo.

Posterioris generis sunt demonstrativa, *hic, ille*, (i. e. qui tempore prior aut posterior est), quae plerumque, nec tamen rectius quam cetera adiectiva, pronomina vocantur.

Ea, quae ipsis subiectivis inesse existimantur, itidem nomini aut per se aut comparatione ceterorum facta tribuuntur.

Adiectiva prioris generis categoriis continentur.

Quae

Quae posterioris generis sunt notionibus comparativis complexa sunt, ut *idem*, *alius*, *aequalis*, *inaequalis* et cetera.

Quae comparationem admittunt, augeri et diminui, ideoque ratione GRADUS determinari possunt.

Comparationis tres dantur enunciations, absoluta, relativa, et relativi-absoluta, quae ipsae enunciationes gradus comparationis, **POSITIVUS**, **COMPARATIVUS** et **SUPERLATIVUS**, appellantur.

Eorum, quae comparari nequeunt, nulli dantur gradus, e. g. verborum *ipse*, *unicus*, *universus*. Interdum tamen, vulgariter sermone, haec quoque, ut strictissimo sensu accipientur, superlative adhibentur.

Gradus denotari possunt aut adiectivo plane diverso, aut peculiari quadam nota adiecta, aut denique positivo verbo quodammodo immutato. Quarum altera ratio aptissima esse videtur.

Annotat. Nota illa, qua gradus comparationis significantur, cum ipsa alii verbo determinando interficiat, inter adiectiva, et ea quidem, quae post ea explicabimus, secundaria, referenda est.

Omnes illae tres graduum significations in plerisque sermonibus occurront.

B 2

Grae-

Graeci tamen, Latini, Germani atque Dani plerumque adiectiva immutant. Inter Francogallos, Italos, Hispanos, Anglos que altera ratio praevalet.

Adiectivum porro, si determinandi modum respicimus, aut per se subiectivo tributum esse existimatur, aut ope verbi copulativi demum tribuitur. Hoc ABSTRACTO, illud CONCRETO sensu sumi Grammaticis placuit.

Veteres tamen linguae, quantum equidem scio, nullum concreti et abstracti discrimen fecerunt. Recentiorum quae quodammodo a latino sermone originem trahunt, ut Francogallica, Italica, Hispanica, nec non Anglicula, eodem modo. In iis solum, quae Teutonicae originis sunt, nota quadam enclitica concretum ab abstracto distinguitur. Distinctione tamen hac opus non esse tot linguarum exempla monerent, nisi ipsius rei natura doceret.

Subiectiya, quibus adiectiva tribuntur, multifarie differunt, cuius rei casus atque numeri exempla sunt. Nec tamen opus esse videtur, subiectivorum differentias adiectivis quoque tribuere.

Attamen ratione numeri et sexus subiectivorum distinctionem esse veteres aequae ac recentiores, quae ex veteribus origi-

ginem ducunt, linguae statuerunt. Quae contra Teutonicae originis sunt, abstractis quidem indistincte utuntur, concretorum autem nonnullae numeros quidem, nec tamen sexum, discernunt, ut Danica et Batava, patria solum lingua et numerum et sexum, singulari saltim numero, distinguunt. Angli, ni fallor, soli concretis aequae ac abstractis sine ullo numeri aut sexus discrimine utuntur, nec tamen sermo illorum ceterarum gentium oratione obscurior esse videtur.

Adiectiva aut subiectivo verbo aut non subiectivo determinando infervire supra diximus. De illis hucusque locuti sumus; iam ad SECUNDARIA, quae a Grammaticis adverbiorum nomine insignita sunt, progradimur.

Annotat. Quae non verbum determinant, sed nexum dictorum indicant, ut *ceterum*, *inde* *cetera*, non adiectivis sed copulativis annumeranda sunt, et si speciem habeant adverbiorum.

Verba non subiectiva aut adiectiva primaaria, aut copulativa, aut denique coniunctiva esse supra demonstratum est. Adiectiva secundaria itaque aut adiectivo aut copulativo aut coniunctivo verbo determinando infervire satis patet.

Annotat. Quae verbis copulativis subiunguntur, non eiusdem generis sunt. Verbum enim ipsum plerum-

rumque non copulativum solum, sed etiam adiectivum est, i. e. verbo plerumque non copula solum, sed etiam praedicabile quoddam denotatur. Adverbia itaque ipsa, verbis subiuncta, alia ad copulam, alia ad praedicatum pertinere sequitur. *Necessario* e. g. ad copulam, *valde* contra ad praedicatum referendum esse existimo.

Divisio denique adiectivorum secundiorum uniuscuiusque generis divisione, adiectivorum, copulativorum et coniunctivorum nititur.

III.

DE COPULATIVIS.

Copulativa connexionem notionum in se perfectam denotare supra diximus.

Sunt ea autem aut pura aut mixta; PURA, quae solummodo formam iudicij denotant, ut verbum *sum*, MIXTA, quae praeterea materiam quandam continent, exempli causa *amo*, quo simul praedicatum, vel adiectiva quaedam notio, subiectivo tribuitur. Primo de copulativis puris loquemur.

Iudicio alia sensus interni ratione habita, nonnulla facultatis iudicandi respectu tribuuntur. Inde variae sequuntur copulativorum species.

Cum

Cum sensum internum respicimus, quodvis iudicium in TEMPORE quodam esse intelligimus, quod aut INDEFINITUM est (aoristum) aut DEFINITUM.

Definita tempora aut simplicia sunt aut composita,

Simplicia, quae satis nota sunt, PRAESENS, PRAETERITUM et FUTURUM.

Composita, quae respectu praeteriti aut futuri temporis definita sunt.

Ratione praeteriti PRAETERITO - PRAESENS, quod in praeterito quodam tempore praesens est, vulgo imperfectum, PRAETERITO - PRAETERITUM, quod in tempore praeterito pro praeterito habetur, vulgo plusquamperfectum, et PRAETFRITO - FUTURUM, quod in praeterito tempore futurum esse censetur. (Ut Latinorum *amaturus erat.*)

Ratione futuri FUTURO - PRAESENS, quod in futuro tempore pro praesenti habetur. Cum e. g. dicimus *Cum sol orietur, illucescit*, posterius *illucescit* futurum quidem ratione temporis praesentis, ad futurum vero tempus, illud, quo sol orietur, relatum, praesens est. FUTURO - PRAETERITUM, quod in futuro tempore praeteritum est, Latinorum futurum exactum, ut

amatus fuero. Denique FUTURO - FUTURUM, quod in futuro tempore futurum esse censetur, nonnumquam paulo - post - futurum. Cum v. c. dicimus *agricola segetem in herbis visurus laetabitur*; *fruges enim aliquando percipiet*, verbum *percipiet* futurum non solum ratione praesentis, sed futuri quoque illius, quod illo *laetabitur* denotatum est, temporis, esse existimatur.

Designari tempora possunt aut peculiaribus verbis, ut *sum*, *fui*, *ero*, quae tamen ratio, cum magnam verborum copiam requirat, parum commoda esse videatur, aut notis quibusdam communibus copulativo cuiilibet adiectis, aut denique variis verbi formationibus regulae cuidam generali accommodatis.

In omnibus fere linguis variis modis tempora designantur. Plerumque vero praeterita quidem tempora satis distincta sunt, nec tamen futura, quod necessitate loquentium factum esse intelligere licet.

Iam functionum mentis ratione habita copulativa dividenda sunt.

Primum si qualitatem respicimus, iudicia aut affirmativa aut negativa aut denique infinita esse constat. Oratione igitur

tur significari oportet, utrum praedicatum
subiecto tribui velimus an non.

Qualitatis species plerumque peculiari-
bus verbis exprimuntur.

Si quantitatem consideramus, indicia
aut singularia, aut particularia, aut uni-
versalia sunt. Iam copulativo verbo praedi-
catum ad subiectum referimus. Quodsi
vero subiecti quantitas determinata est,
iudicii quoque quae sit quantitas apparet.
Unde efficitur, ut praeter illas quantita-
tis enunciationes, de quibus supra locuti
sumus, novis verbis non indigeamus.

Plerisque gentibus quantitatem iudicium
copulativis quoque flectendis designare
placuit. Universitatis tamen nulla ratione
habita, singularem tantum atque pluralem
numerum verbis tribuerunt. Graeci insuper
peculiarem dualis numeri significatio-
nem esse voluerunt.

Nec iis quidem difficultatibus conten-
tae, personis quoque verba accommodan-
da esse omnes fere gentes statuerunt. He-
breai, quod magis mirum esse videtur,
sexum etiam subiectivorum verbo expri-
mendum censuerunt. Dani omnium, quan-
tum equidem scio, soli, inutilibus istis
formis relictis, rationem, quam exposui-
mus, secuti sunt; recentioribus tamen

B 5 tem-

temporibus eruditii, pluralem numerum & singulari distinguendo, egregie de re grammatica mereri sibi visi sunt.

Modalitas porro, cuius species MODI plerunque vocantur, aut logica est aut thelematologica.

Quod ad modalitatem logicam, iudicia aut problematica sunt, aut assertoria, aut denique apodictica. Modi igitur ipsi aut PROBLEMATICA, aut ASSERTORIAE aut APODICTICA enunciationis erunt.

Quod problematicum esse dicimus, aut absolute aut hypothetice incertum esse potitur. Modus itaque problematicus locum habet ubique propositionem aliquam aut absolute aut hypothetice pro incerta haberi volumus. (E. g. Nescio, an verum sit; Quodsi ita esset, fieri posse concederem.)

Modi aut variis copulativi formis aut peculiaribus verbis exprimi possunt.

Plerumque modalitatis ratio verbi flexionibus exprimitur. Apodictica tamen enunciatio ubique fere propria forma caret; assertoria et problematica indicativo et coniunctivo, ut vulgo nominantur, modis designantur.

An-

Annotat. Vix opus esse videtur admonere, infinitivum non ad modalitatem, sed ad rationem personarum pertinere, ideoque infinitivae personae potius quam modi infinitivi nomine designandum esse.

Thelema^{to}logice obiecta aut ad appetitum aut ad voluntatem aut denique ad legem referuntur. Unde tres modi thelematologici, OPTATIVUS, IMPERATIVUS, rectius fortasse iussivus, et PRAECEPTIVUS, quem imperativum nominarem nisi Grammatici aliter statuissent.

Plerumque optativo tantum et imperativo suae formae tributae sunt; praecepsivus indirecto modo exprimitur, nisi forsitan Latinorum *facito*, *facitote* huc referre voluntus, quae tamen iussum quoque in mero arbitrio positum designant.

Quod ad relationem denique iudicia aut categorica aut disiunctiva aut hypothetica esse censentur. Itaque copulativorum quoque forma aut categorica, aut disiunctiva aut conditionalis erit.

Cum fere ubique relatio iudiciorum, peculiaribus verbis, coniunctionibus, ut vulgo vocantur, designetur, formae copulativorum relationem denotantes desint. Recentiorum tamen nonnulli, ut Franco-galli, Itali, Hispani, propositioni hypothet-

theticae propriam formam, quae conditionalis vocata est, assignarunt.

Annotat. In iudicio hypotheticō propositio consequens, quae conditionali forma continetur, et si hypothetice necessaria sit, per se tamen problematica esse existimatur. Quapropter, si relatio alio quoddam modo ostenditur, illam coniunctivo modo recte denotari patet.

Hactenus de copulativis puris dictum est. Iam de MIXTIS, seu de iis, quae praeter formam materiam quandam indicant, agendum erit.

Copulativa mixta praeter formam aut adjectivam quandam notionem exprimunt, aut subiectivum verbum involvunt. Haec, cum subiecto tribui non possint, IMPERSONALIA, illa contra PERSONALIA vocantur.

Personalia, prout coniunctionem subiectivi cum subiectivo denotant aut non, aut transitiva aut intransitiva sunt.

INTRANSITIVA, quae neutra plerumque nominantur, ea, quae sine ulla ratione correlati subiectivo tribuuntur, significant. Ut *albeo*, *frigeo*, cetera.

TRANSITIVA quae ratione correlati facta subiectivo tribuuntur indicant. Iam vero subiectivum aut principium quoddam coniun-

iunctionis, i. e. vim quandam, sine qua coniunctio illa subiectivorum fieri non pos-
fit, habere existimatur, aut sine ullo con-
iunctionis principio coniunctum solum-
modo esse videtur, aut denique ex una
parte principio, in quo coniunctio posita
est, gaudere, ex altera vero carere cen-
setur. Transitiva igitur dividuntur in **DI-
RECTA**, quae vulgo verbo minus commo-
do activa vocantur, **CONTRARIA**, quae pas-
siiva appellantur, et **RECIPROCA**, quibus
Graecorum media quodammodo annume-
randa sunt.

Annotat. In directis subiectivum principio quodam
coniunctionis uti diximus. Sic ille quoque, qui
aliquid patitur, facultatem quandam recipiendi,
sine qua nulla passio intelligi possit, habere existi-
matur. Reciproco autem ostendimus, subiectivum
coniunctionem illam quidem producere, per ean-
dem vero sibi ipsi coniunctum esse.

Ceterum copulativorum divisio ex di-
visione adiectivorum satis patet.

IV.

DE CONIUNCTIVIS.

Coniunctiva nonnisi intercedente copula-
tivo connexionem notionum designare su-
pra dictum est.

Con-

Coniunctiva aut DIRECTA sunt; quae notiones et propositiones in una propositione aut periodo complectuntur, aut INDIRECTA, quae singulas (i. e. haud coniunctas) propositiones et periodos coniungendas esse indicant.

Directa aut coniunctiones verborum in una propositione denotant aut coniunctiones plurium propositionum. Priora, quae a Grammaticis vocabulo parum commodo praepositiones appellantur, nobis CONIUNCTIVA VERBORUM, posteriora, Grammaticorum coniunctiones, CONIUNCTIVA PROPOSITIONUM vocabuntur. Si quae forte reperiantur, quae verborum aequae ac propositionum coniunctionem designent, coniunctiva communia vocari poterunt.

Indirecta, ut *insuper*, *etiam*, *itaque*, *nam*, et si adiectivorum eorum, quae vulgo adverbia vocantur, similitudinem quandam habeant, rectius tamen coniunctivis annumerabuntur.

Coniunctiva coniunctiones denotant. Divisio igitur illorum coniunctionum divisioni accommodanda est. Quo facilius autem divisio, quae sequitur, intelligi possit, praepositiones, coniunctiones et cetera verba, quibus coniunctiones exprimuntur,
et

et si forte opus fuerit, exempla ad illu-
strandam sententiam dictorum subiungantur.

Coniunctionem in genere denotat La-
tinorum *Cum*, sejunctionem, nullo inter-
veniente copulativo, *Sine*, copulativo au-
tem adiecto, *A.*

In specie A et B coniuncta esse dici-
mus, primo quandocumque per A in B
aliquid positum esse existimatur, deinde
cum A et B eodem modo posita esse censem-
tur. Coniunctio igitur aut relatio est
aut comparatio.

RELATIO est coniunctio eorum, quo-
rum alterum alterum quodammodo de-
terminat. Quae sensu latiori exprimitur
verbo *Ad.* (E. g. *relatio ad obiectum.*)

1) Eorum, quae sensu percipiuntur, ra-
tione temporis et spatii.

a) Ratione temporis.

Totum esse in tempore quodam.
Ablativo casu, verbis *In*, *Dum*, *Simul*.
Denotantur porro

Termini temporis. *Intra*, *Interea*.

Initium. *Ex*, *Simulac*, *Exinde*.

Finis. *Usque ad*, *Usque dum*,
Eo usque.

Spatiuum temporis. *Per*. (*Per*
septem dies.)

b) Ra-

b) Ratione spatii.

*Tè esse in spatio. Ablativo et genitivo casibus, verbo *in*. (Athenis, Romae, in Graecia.)*

Termini spatii. Inter, intra.

Initium. A, Inde.

Finis. Usque ad, Hucusque.

Motus. Per.

2) Eorum, quae cogitatione percipiuntur.

A. Relatio subiecti aut praedicati logici. NOMINATIVO CASU.

Annotat. Notionem principalem praedicati cuiusvis nominativi casu dico, Notionem tamen illam copulativo saepe contineri supra expositum est. Hinc resolutione copulativi opus esse intelligitur, si forte nominativus non statim appareat, sic verbum agit, si ad elementa reducas, significat: ille est agens, in qua propositione nominativum comprehendes.

B. Relationes eorum, quae subiecto aut praedicato continentur.

2) Relationes eorum, quae percipiuntur, in genere.

a) Correlatorum, quae ope copulativi coniuncta esse censentur.

a) Id, quod ad aliquid refertur, quod in correlato positum esse existet.

existimatur, seu obiectum, quod vi quadam correlati cum ipso coniunctum esse censetur. Cum e. g. dicimus: *Titus habet librum*, librum loco obiecti rē habere posimus, quod (habere) vi quadam Titi existere intelligimus. Denotatur ea relatio ACCUSATIVO casu, ACCUSATIVO CUM INFINITIVO. (*Vidi illum venire.*)

Annotat. In relationibus inter substratum et attributa, inter totum et partes etc. non posteriori solum in priori, sed prius quoque in posteriori positum esse censetur, ut substratum in proprietatibus, totum in partibus, cum dicimus: *partes conficiunt totum et reliqua eiusmodi*. Accusativus igitur utrumque correlatum denotare potest. Quodsi contra coniunctio correlati illius, quod subiecti locum occupat, cum altero, in hoc posita esse censetur, ut in illis: *Liber legitur a Tilio*, posteriori, hoc loco *Tilius*, non pro obiecto, quod refertur, sed pro eo, ad quod aliud refertur, habendum est.

b) Id, ad quod aliquid refertur, in quo aliquid positum esse dicitur, seu cuius vi quadam alterum coniunctum aut coniungendum esse censetur. Sic cum dico: *librum Titio dedi*, librum cum Titio quodammodo coniungendum esse declaro, ita ut illum sibi coniunctum habeat.

a) Cui aliquid tribuitur, ut notae notioni, proprietates substrato. DATIVO casu, verbo *in* cum accusativo.

C

No-

Notio, cui notae
quaedam propriae esse dicuntur.

Ens subsistens, cui
proprietates inhaerere censemuntur.

Illud, cui ius quod-
dam in aliquid competere existimatur.

b) Quo aliquid conti-
netur, ut species genere, partes toto.
Ablativo casu.

Genus, quo conti-
nentur species. — Verbis *Generatim, atqui.*

Annotat. Verbo *generatim* propositionem quandam
generalem esse, qua alia quedam continentur, de-
notamus. *Atqui* contra significat, propositionem
quandam singularem alia generali contineri.

Totum, quo par-
tes continentur.

Materia, unde ali-
quid factum est. Verbo *Ex.* (E. g. *Non*
ex quovis ligno fit Mercurius.)

γ) Per quod aliquid esse
censemuntur, ut consequentia per rationem,
effectus per causam.

Causa logica, ex
qua aliquid intelligitur. *Ex, Ex eo quod,*
Unde, igitur, nam. (E. g. *Ex quo intelli-*
gitur, unde colligitur.)

Causa efficiens. Ver-
bo *Ab.*

Causa

Causa impellens. Verbis *Propter*, nostro ungēachtet, *Propterea* quod, quia, *Propterea*, *nihilominus*.

Regula. Ex, secundum, contra.

c) Tertium, per quod aliquid ad aliud refertur, i. e. medium. Casu instrumentalī Russorum, ablativo Latino-rum. (E. g. *calamo scribo*.)

b) Correlatorum, quatenus per se, id est nullo copulativo intercedente, coniuncta esse censentur. At facile intelligitur, relationes hasce, cum expositis aequales sint, eodem modo inter se differre. Pleraque tamen, Latino saltim sermone, GENITIVO casu exprimi possunt, et si alia ratio nonnumquam usu veniat.

B) Relationes peculiares eorum, quae sensu interno percipiuntur, perceptionum, affectionum, appetituum et voluntionum ad obiecta.

a) Relatio perceptionum et reliquorum in genere. Verbo *De*, ablativo casu. (*Meditor de animi immortalitate, Gaudeo amicorum gratiā*)

b) Relatio ad ea, quae appetimus, aut a quibus abhorremus. *Erga, in.* (*Amor erga aliquem, Odium in aliquem*.)

Annotat. Latini tamen saepius genitivo utuntur. Nos rectius relationes istas verbis *hū* et *gēn* denotamus.

C 2

c) Re-

c) Relatio ad illa, quae voluntatem commovent. Verbis *Causâ*, *Ut.* (*Multa famae causa suscipiuntur; Id potissimum agamus, ut boni viri nobis met ipsi videamur.*)

C) Relationes copulae, seu relationes eae, quae ostendunt utrum praedictum subiecto tribuendum sit nec ne.

a) Primo iudicium determinatur qualitatis quadam subiecti, i. e. eorum, quibus notae ipsius continentur, ratione habita. Ablativo casu Latinorum, verbis *Quoad*, *Quatenus*, *Eatenus*. (E. g. *Homo corpore*, seu *quoad corpus*, *diformis*; *Diformis quatenus corpus respicimus*.)

b) Deinde quantitate subiecti, i. e. iis, quae notione subiectivi, ut species genere, continentur, consideratis. Verbis *Praeter*, *excepto*, *Praeterea quod*, *Praeterea*. (V. c. *Bruta praeter simium, seu excepto simio, quatuor pedibus incedunt cetera.*)

c) Denique modalitatem quoque respicientes, unde veritas iudicij pendat designamus. ABLATIVO CONSEQUENTIAE, verbis *si*, *nisi*, *Nam*, *alias*. (Ut *societate hominum sublata, quid nobis superesset humanitatis?*)

COMPARATIO est coniunctio eorum, quae eodem modo determinata sunt aut non.

i) Eo-

1) Eorum, quae sensu percipiuntur, ratione temporis et spatii.

a) Ratione temporis habita. *Ante, post* (*Francogallorum avant et après*), *Anteaquam, posteaquam, Antea, postea, Primum, iterum, deinde*.

b) Ratione loci. *Ultra, citra, ante, post* (*Francogallorum devant et derrière*), *iuxta, super, sub*.

2) Eorum, quae cogitatione percipiuntur.

A) Comparatio eorum, quibus idem inesse censetur aut non.

a) Ea, quibus eadem qualitas tribuitur, similia esse dicuntur, quae contra dissimilia. Exprimitur plerumque similitudo et dissimilitudo dativo casu.

b) Quibus eadem quantitas tribuitur aut non, aequalia aut inaequalia vocantur.

Aequalia dativo casu, verbo ac.

Inaequalia, rō plus aut minus, ablativo casu, verbo quam. (*Caius maior est Titio.*)

Huc referendae sunt notiones arithmeticæ, ut differentiae, Ablativo casu (e.g. *Saulus capite maior erat ceteris Israelitis*); modi, verbis *Infra, supra* (*Infra aut supra modum*); proportionis, verbis *Ad* (*A est ad B sicut C ad D*), *Quo... eo* (*Quo quisque*

*que praestantior, eo magis invidiae obnoxius
est.) ceterae.*

c) Quorum eadem modalitas es-
se intelligitur, i. e. quae eodem modo ani-
mum afficiunt aut non.

Annotat. Vocabula peculiaria, quae notiones illas
significant, non novi.

B) Comparatio eorum, quae eidem
inesserunt existimantur aut non.

a) Ea, quae uni eidemque no-
tioni tribui possunt aut non, seu quorum
utrumque affirmatur vel negatur aut se-
cūs, consentanea aut contradictoria.

Consentanea affirmativo mo-
do designantur verbis *Et...et*, modo ne-
gativo *nec...nec*.

Contradictoria, quorum al-
terum affirmatur alterum negatur, verbis
Non...sed, aut...aut, Autem.

b) Quae uno eodem genere con-
tinentur aut non, quae eadem cogitatione
comprehendi possunt aut secūs, homogena
et heterogena.

Homogena denotantur verbis
Et, non solum... sed etiam, Etiam, insuper.

Heterogena verbis *Partim...par-*
tim (Hostes partim occisi, partim aquis sub-
mersi sunt.)

c) Ea,

c) Ea, quae ad unam eandemque rationem referuntur aut non, quae syste-
mate contineri dicuntur aut secus.

Annotat. Verba simplicia, quae coniunctionem illam
exprimant, vix videntur occurtere.

Coniunctiones eorum, quae tina eademque propositione continentur, aut peculiare verbum addendo aut subiectivum immutando, i. e. aut praepositionibus aut flexionibus ipsis, quae plerumque casus vocantur, designari possunt. Alterutram tamen significationem sufficere facile intelligitur. Cum vere coniunctiones expositas, quippe quarum magnus est numerus, totidem subiectivorum formis denotare difficultimum esse videatur, praefstat singulam peculiariam verbo exprimere.

Linguarum nonnullae casibus utuntur, paucis tamen, qui cunctis coniunctionibus denotandis neutiquam sufficiunt. Unde factum est, ut magnam praepositionum quoque copiam esse statuerent. Itaque cum coniunctiones alias casibus solummodo exprimant, alias vero praepositionibus, constantem rationem haud sequuntur. Imo praepositionibus casus, i. e. formas, quae per se coniunctionem denotant, tribuendo, inutilem difficultatem attulerunt. Aliae linguarum, ut Italica, Francogallica, Hispanica, et quodammodo

An-

Anglica, Danica atque Belgica, praepositionibus tantum utuntur.

Coniunctiones posterioris generis, quae scilicet ad propositiones, quae una eademque periodo continentur, pertinent, aut peculiariibus verbis aut flexionibus copulativorum denotare licet. Ex iis tamen, quae modo de verborum coniunctionibus dicta sunt, verba peculiaria flexionibus illis praestare satis patet.


Plerumque coniunctiones illae, de quibus loquimur, propriis verbis exprimuntur, quae a Grammaticis coniunctionum nomine insignita esse supra diximus. Omnes tamen fere linguae, nec tamen omnes iisdem, flexionibus quibusdam copulativorum utuntur, inter quas referentur casus personae infinitiae (vulgo infinitivi modi) quos Latini gerundia et supina vocarunt, nec non participia, ubicumque propositionem peculiarem involvunt.


F I N I S.


5

Ab 39²⁴
~~41~~ 14

Ba 216^a W018







Farbkarte #13

B.I.G.
Black
White
3/Color

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



GRAMMATICAЕ

UNIVERSALIS

E L E M E N T A

SCRIPTA

A

IOANNE HENRICO MEYER.

BRUNSVIGAE, 1796.

IN BIBLIOPOLIO SCHOLIS DICATO.